

23 32 36

27330



30

DISSERTATIO

DE

S E M U M,
VENTO PESTIFERO,

Quam,

Nutu Incliti Ordinis Philos. Lundensis,

PRÆSIDE

MATTH. NORBERG,

Lingu. Orient. & Græc. Lingu. Prof. Reg. & Ord.

Societ. Scient. Gœtt. & Musæi Paris. Corresp.

& Societ. Educ. Membr.

Ad Publicam Examen,

pro Gradu,

defert

OLAUS BOSTRÖM,

Ostro-Gothus.

Die XXII Decembr. A. MDCCXCV.

1795

LUNDÆ,

Litteris BERLINGIANIS.

AB Wind

IN
SACRAM REGIAM MAJESTATEM

MAGNE FIDEI VIRO,

REVERENDISSIMO DOMINO,

JACOBO AX.

LINDBLOM,

S. S. Theol. DOCT. Consummatissimo,

Inclitæ Diœceseos Lincopensis EPISCOPO

Eminentissimo,

Maxime Ven. Confessus Sacri PRÆSIDII Gravissimo,

Gymnasia Scholarumque per Diœcesin EPHORO

Summo,

Reg. Ord. de Stella POLARI Membro Splendidissimo,

MÆCENATE MAXIMO,

SACRUM.

§. I.

Cum multa sunt in rerum natura, quæ delectationem, tum Semum, ventus Orientalis, inter ea est, quæ stuporem afferunt. Aut composita & in falsum aucta sunt, quæ de hac tempestate tradunt Scriptores, aut non alia vis, nec major, nec casibus atrocior cognita est. Similitudinem habet cum fulmine, quo præsentem & manifesto tanquam Numine propter mores irato genus humanum horrescit. Si autem unius tam alti & abditi secreti ratio innotuit, quæ sit alterius, ad nostra usque tempora compertum non est. Tamen licet mihi, ex iis, quæ de Semum accepi, vestigia quædam illius & quasi lineamenta aperire.

§. II.

Primum omnium explicanda nobis videtur vis vocabuli *Semum*, quod Arabicum est, scribitur *سوم*, & interprete Golio, *ventum ferventem interdum subinde & noctu spirantem* significat. Addit Wan-



kuli, Lexicographus Turcicus, illum ventum *locis desertis proprium esse*. Et inclinatur animus, ut credam, Hebræorum זלעפה ab Arabum *Semum* non discrepasse: quod, si ازلعب *ustulata fuit cutis* in comparationem venerit, non ex multorum conjectura *turbinem, procellam*, sed pro etymo *æstum feruidum & igne quasi conscientem* notabit. Sententiam confirmant loci, quibus occurrit. Pl. XI. 6. זלעפה ורוח זלעפה מנה כוסות *afflatus venenati ventus fors eorum calicis*. Ipsum *hauriendi calicis* verbum est euro, cujus pestifera vis imbibitur, apertissimum, & Arabibus ac Syris, de morte loquentibus, usitatum. Ephræm Syrus a): *hausto mortis poculo, efugimus*. Et Arabs poëta b): *سقيننا كأس حنف* *Hudalitis calicem mortis bibendum dedimus*. Fides præterea ex contextu est. Præcedunt enim: *pluet in impios prunis & sulphure*. Sic, ad exemplum Græci *ανδρακας* in Origenis Hexaplis, Hebræum פחית ab Arabico *فحم* *carbo* transfero: quæ vox nude posita *carbonem*, adjecto autem *חם*, illum *ardentem* s. *prunam* significare videtur. Accedit Thren. V. 10: *Nigravit cutis nostra, tanquam si furno usta esset*, זלעפות רעב *præ famis vi ardente*. Quæ enim comparatio esset? *Nigravit cutis nostra, tanquam si in fornace usta esset, procellis famis*.

§. III.

a) Tom. I. p. 46.

b) Schult. Gramm. Arab.

§. III.

Duplex est vis tempestatis, cui nomen *Semum* dicitur: altera communis & annua, altera singularis & rarior. De utraque speciatim agere volo. Ad communem quod attinet, cum Scirocco Italarum, vento propter æstum famoso, congruit, eo tantum discrimine, quod vehementior est. Etenim in Oriente quo propior est solis accessus, eo major vis caloris est, quæ, aëre concitato, valescit & sævit. Tamen in hoc etiam orbe terrarum, pro varia cœli positione, differt; impetu ejus in locis eminentibus quam in depressis remissiori. In illis enim cum rari, tum in his frequentes sunt imbres, qui modum caloris temperant. Documentum discriminis in Tehama, regione campestri circumdatisque jugis habetur c). In universum si Semum æstimatur, hinc, illinc spirat; tamen ut plurimum eurus est, aut eurus in austrum flexus d). Et media æstate vix æstus toleratur, qui rapidæ instar flammæ corripit & haurit. Raritas aëris spiritusque tum animantes haud satis nutrit; & flatu ardenti tanquam sole meridiano ipsa metalla calefcunt e). Divisa enim tempora non habet furor, qui, sive dies sive nox fuerit, idem est, æque cæcus & ignitus. Neque hic brevis. Si Abd Allah, Scherif Meccanus, vero majora Præsidi non retulit, menstrui

a 3
c) Niebuhr. Description de L'Arabie. p. 4.

d) Idem lib. cit. p. 6. Et Abd Allah, quo lingvæ Arabicæ magistro Cl. Præses Constantinopoli usus est.

e) Niebuhr. lib. cit. p. 6.



menstrui spatium, & quod excedit, Meccæ quottannis implet f). Levamento repertæ sunt domus subterraneæ aut cellæ, dolio quodam in suprema parte instructæ, quo admissa vitalis aura incluso frigore temperatur g). Et ubi hæc receptacula non adsunt, molestia Semumi arcetur, valvis, foribus & fenestris clausis. Aquam præterea per plateas spargere usitatum est: quæ immodicum calorem salubri vapore huc & illuc digerat & ministret h). Sub dio periculose agitur. Hinc, sæviente Semum, in urbibus fora sunt vacua, clausæ tabernæ, & officinæ tacentes: in agris palo suspensa aratra, aut in medio opere defixa: & in viis magna solitudo. Eventus enim docuit, flagrante hac canicula, commercantes, rusticantes aut peregrinantes, si minus capitis, tamen salutis periculum subinde adiisse i).

§. IV.

f) Abd Allah: *يأتي السهموم من الشرق والبر بالليل*
Venit Semum ex oriente, & die nocteque per menstrui aut longioris temporis spatium spirat.

g) Niebuhr lib. cit. p. 6.

h) Niebuhr lib. cit. p. 6. 7. Et Abd Allah: *يرشوا الماء في النفاق ويسكروا الباب ويدخلوا في وسط البيت*
Fusa per plateas aqua, & clausa porta, in parte ædium interiori se abdunt.

i) Niebuhr lib. cit. p. 6. 7. Abd Allah: *في هذا الزمان*

§. IV.

Si Semumi species, de qua disputatum est, valetudini gravis, ea, de qua jam dicetur, vitæ periculosa est. Nostri vero tam provida & consultrix fuit Natura Divina, ut, sicut cetera mala, ita hoc raro nascatur. Longiora sunt intervalla temporum, quibus nulla injuria cognitum est Semum. Campis autem, nudis & arenosis, quo magis quæque terra patescit, eo frequentius letiferam hanc tempestatem gignit & transmittit. Sic solitudo, æqua & aprica, quæ Basoram, Bagdad, Haleb & Meccam distingvit, repetitis inde cladibus nobilitata est. Funesta etiam in Persia & India exempla. Traditur, planitiem, quam Beit Elkakih & Hodeide prospiciant, similis mali expertem non esse k). Idem de vastis Ægypti & Æthiopiæ desertis memoriæ proditum est l). Et quemadmodum supra memorata, ita hæc Semumi species, pro situ locorum, alia ab alio latere erumpit; eurus enim Meccæ, africanus Bagdadi, cortex Basoræ, & aquilo Suratæ pestem flammamque, & quidem appetente meridie præcipue

بیشترتغلوا في البيوت ولا يخرجوا ولا يسافروا الا
 ضرورتا Hoc tempore negotia sub tectis obeunt: nec
 quisquam, nisi necessitas affuerit, foras exierit, aut
 iter susceperit.

k) Niebuhr lib, cit. p. 7.


l) J. Bruce's Travels to discover the Source of the Nile.
 T. IV. p. 341, 581, 583.

pue minitatur m). Horrenda tum & futuri quasi
 præfaga est cœli imago: non claritas, non nubes:
 fusca extrema mundi ora: & langvescentis fulgor
 solis in similitudinem sanguinis mutatus n). Præ-
 cedunt hæc signa leti turbinem, qui murmure mi-
 naci aures perstringit, jam celerius, jam segnius
 transiens o. Et nisi cautio adhibita fuerit, certum
 inde exitium. Causa autem mali quo occultior, eo
 magis ingenia inquiringentium sollicitavit. Sunt, qui
 eam ex nimio calore repetant. Quibusdam enim
 contactu

m) Niebuhr. lib. cit. p. 7.

n) Bruce lib. cit. T. IV. p. 581: about a quarter before
 twelve, our prisoner first, and then Idris, cried out,
 The Simoom! the Simoom! My curiosity would not
 suffer me to fall down without looking behind me.
 About due south, a little to the east, i saw the co-
 loured haze as before. It seemed now to be rather
 less compressed, and to have with it a shade of blue.
 The edges of it were not designed as those of the
 former, but like a very thin smoke, with about a yard
 in the middle tinged with those colours. Abd Allah:
 في وقت السبوم الشمس مثل النار حامية احمر
 صحو ولكن ما هي صافية
 Tempore Semumi, ignis
 ardentis & vim & speciem sol habet, clare tamen in
 cælo quamvis sereno non lucet.

c) Bruce loc. cit.: We all fell upon our faces, and the
 Simoom passed with a gentle ruffling wind. Et p. 583:
 The blue meteor, with which it began, passed over us
 about twelve, and the ruffling wind that followed it
 continued till near two.



9

contactu hujus venti exspirantibus vox suprema, si qua in potestate fuit, hæc edita narratur: *igne urimur* p). Neque is ego sum, qui repugnem, modo præproperi fati origo etiam in solo quærat. Magna enim pars telluris est, cujus cælum æque calidum, tamen non æque periculosum est. Accedat itaque oportet res etiam terrestres, quæ plurimo sole excitata, spiritum in præsentissimi modum veneni aufert. De his autem judicent, quibus arcana naturæ scrutari honos est.

§. V.

Semumi vero si origo latet, palam ante oculos effectus est. Tanta est illius vis, ut eam, quæ fulminis est, non tam æquare quam superare videatur. Etenim non ferit solum & percellit, sed suo etiam ictu tanquam multi temporis tabe absorbit. Subito anima efflatur: corpus pari celeritate tumescit: sanguis per nares, os auresque redditur: color subviridis aut rubidus, plerumque mixtus, suffunditur: & membra, quasi cæca putredine fluentia, si tacta fuerint, dilabuntur. Exempli loco, brachia, crura, aut quæcumque alia pars corporis prehensa fuerit, suo toto soluta manum trahentis sequetur q).

b

juxta

p) Busching's Erdbeschreibung V. Th. I. Abth. S. 191 seqq.

q) Idem loc. cit. Niebuhr lib. cit. & Abd Allah: من جا لة السموم يموت حالا ويخرج الدم من الفم والاذنان



juxta capitalis æstimatur. Est aliqua illius cum peste similitudo. Lue enim sicut unius ita alterius pereunt alii extemplo, aliis spiritus aliquot post horis labitur, qui interclusus sæpe aliis redit. Causa in modo virium posita creditur: ita ut, quo plus roboris fuerit, eo minus formidinis ex pestilentia Semumi immineat. Inde mos est Arabibus, oleum uvasque passas in itineribus secum ferre: quæ animi & corporis recreationi destinata, casu Semumi in virtutem quoque remedii converti solent r). Multum vero si valet natura, plurimum etiam momenti consuetudo affert. Quicquid enim, sive hominum, sive brutorum animantium fuerit genus, solo cœloque regionis adsvetum est, suprema

والأخشام ويصير جسد الانسان احمر مثل الدم
 ويريثخي اللحم من العظم Qui Semumo tactus fuerit, e vestigio moritur, sanguine per os, aures, naresque fuso, & corpori color sanguinis suffunditur. Et quæ carnis ossiumque compages est, etiam dissolvitur.

- r) Niebuhr lib. cit. p. 8. On croit avoir observé, que ceux qui étoient moins abattus & moins fatigués, y étoient moins exposés que les autres. Ainsi d'une grande caravane, il n'y avoit que 4 ou 5 personnes qui moururent sur le champ, plusieurs ont encore vécu quelques heures, d'autres ont été rétablis par des rafraichissemens que les Arabes portent ordinairement en voyage tels que de l'ail & des rasins secs, & dont ils se servent avec succès pour rappeler à la vie des personnes presque étouffées.



nam ex Semum necessitatem facilius, quam quod peregrinum sit, evadere dicitur s). Fama etiam est, modo credentibus fallax non sit, Semumo minus obnoxias esse feras hirsutas, quasi adversus vim ejus mortiferam frequentia & firmitas pilorum tutamini esset t).

§. VI.

Ubi autem mala, ibi etiam remedia: quæ nosse, humanæ rationi relictum est. Hæc autem, et si quid faciendum, quid fugiendum sit, docet & explanat, tamen (mirum dictu) multa sunt, quæ bruto animantium genere quasi magistro & duce didicit & expressit. Exempla varia: illustre nobis offertur in modo, quo nocitura Semumi potestas a camelis & mulis vitatur. Præsentiant hi, & quidem ex longinquo (tanta est vis odoris), illum ventum adesse, ejusque adventum capite humi de-

b 2

fixo

s) Abd Allah: أهل البلد يصيرون علي السموم أكثر من الغربا هكذا حيواناتهم أيضا وحيوانات حقل الغربا يهوتوا مثلهم في الحال من حوم السموم ويصير الجلد منفصل من اللحم واللحم منفصل من العظم ويصير لون الكل احمر *Semumi major est patientia indigenis, quam advenis, sive hominum sive ferarum fuerit genus: quod si alius orbis fuerit, mors festina, mutua, que carnis ossiumque est, congmentationis laxatio, & color rubidus per totum per partes diffusus sequitur.*

t) Busching loc. cit.

fixo quasi latebra quadam eludunt u). Cum enim omnis vaporis ea sit natura, ut superiora petat: juga & colles, saxa & arbores efficere videntur, ne ille, qui Semumi pestifer est, inferiora teneat. Salubre inde Arabibus præceptum. Sub occursum enim Semumi, ad imitationem sui quisque iumentis, campo procumbit, & in ventrem provolutus, oreque aperto, salutem quærit. Sagacitas præterea, quæ genti magna est, talia etiam præmonet. Nam ut ceteros sensus, ita odoris acutissimum pro singulari & ingenerata frugalitate habent. Si exteri, & qui idem consequi investigando non possint, in societate itineris fuerint, iis etiam manu, voce significant impendens periculum periculique declinandi rationem. Nec consilium impune spernitur. Affirmant, qui interfuere, fidem & obsequium omnibus salutis, temeritatem vero & casum multis exitio fuisse. Et memoria est, qui arcanum hocce cœli cognoscere voluit, eum, & qui primus experimentum fulminis instituit, pari fato excessisse x).

n) Niebuhr lib. cit. p. 7. Abd Allah: *يشتموا الكحيوانات قبل الانسان رايسة السموم ويضروا رؤسهم في الارض حتى يغوت* *Fumenta, quæ citius homine odorem Semumi capiunt, humi capita sua defixa, donec transeat ille ventus, tenent.*

x) Niebuhr lib. cit. p. 7 refert: Un de mes domestiques en avoit été surpris dans une Caravane sur le chemin de Basra à Haleb; les Arabes ayant crié à temps que l'on se jettât à terre, aucun de ceux, qui prirent cette précaution ne périt. Les autres qui se crurent trop surs & qui la négligèrent, en moururent. Entre autres un chirurgien françois qui vouloit approfondir ce phénomène.